



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

377. Quæ ætas requiratur eo tempore concessionis Coadjutoriæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

# CAPUT QUINTUM.

## De qualitatibus requisitis in Coadjutore.

*Questio 375. Quas in genere habere debeat qualitates Coadjutor?*

**R**espond. Requiritur, ut Coadjutor sit idoneus & habilis ad supplendum defectum Coadjuti, peragendumque munus beneficio incumbens, & habeat qualitatem in ipso Coadjuto de natura beneficii jure vel statuto requisitam. Remouch. 8. n. 6. citans Selv. de benef. p. 2. q. 4. & Rotam decis. 347. n. 3. p. 3. divers. Paris. de resign. l. 7. q. 20. a. 16. Ventrigl. tom. 2. annor. 13. n. 46. Castrop. tract. 13. d. 1. p. 9. n. 11. ubi ex Abb. in c. consultationibus. de cler. agrot. qualitates, quas Coadjutor habere debet sunt, quas beneficium ad sui administrationem ex postulat. Gonz. gl. 5. §. 9. n. 6. ubi: in Coadjutore requiritur eadem aetas, idoneitas & sufficientia, quae requiritur in alio quovis titulari. Idque juxta Trident. sess. 25. c. 7. in fine. sic Coadjutor debet habere qualitates requisitas ad obtinendam praebendam exemplo resignatarii. Barbof. jur. eccl. l. 3. c. 10. n. 88. sic Coadjutor dandus Episcopo debet habere omnes qualitates, quas jus requirit in Episcopo. Card. Tusch. lib. c. concl. 402. n. 9. Barbof. loc. cit. Paris. loc. cit. n. 14. & 15. sic Coadjutor debet esse constitutus in ea aetate quam beneficium requirit. Barbof. loc. cit. citans Campanil. in divers. jur. can. rubric rub. 67. c. 6. n. 10. Squillante de privileg. cler. c. 4. n. 79. & c. quod tamen recte monet Remouch. c. 8. n. 7. intelligendum, in quantum Coadjutor deputatur in spiritualibus. Pro his tamen, & sequentibus observandum, quod nihilominus summi Pontifices soleant quandoque in gratiam magnorum Principum etiam minoribus Coadjutorias cum futura successione concedere, etsi nec qualitates Episcopales aut abbatiales habeant; neque manifesta utilitas vel necessitas talis ecclesia particularis concurrant. Engels ad rit. de cler. agrot. n. 7.

*Questio 376. An igitur dictae qualitates requirantur in Coadjutore actu tempore concessionis Coadjutoriae?*

**1.** Respond. primò de Coadjutoris temporalibus, quae Vicariae sunt, danturque ad supplendum ministerium, & officium, quod propriarius exercere non potest, necessariò Coadjutor habere debet actu omnes qualitates necessarias ad ministerium & officium de facto exercendum; cum illae Coadjutoriae non tam sint beneficii quam officii. Castrop. loc. cit. de Coadjutoris verò perpetuis cum futura successione

**2.** Respondet Remouch. cit. c. 8. n. 6. absolute & in genere requiritur, ut actor habeat, vel saltem potentia intra annum habiturus sit aetatem & qualitatem in Coadjuto de natura beneficii jure vel statuto requisitam. Pari modo loquitur c. 10. n. 16. ubi: qualitatium harum cognitio non venit ad litteram ita stricte capienda, ut mens Concilii easdem praecise requirat uti in Praelato, quin sufficiat illas inesse habitualiter, solum intra annum complea-

das. Verùm descendendo ad particularia melius de hoc statuetur. Unde sic

*Questio. 377. Qua aetas tempore concessionis Coadjutoriae requiratur in Coadjutore?*

**R**espond. Dum passim AA. dicunt in Coadjutore requiri aetatem, quae requiritur ad obtinendum beneficium, respectu cujus datur Coadjutor, Ventrigl. Barbof. Gonz. l. cit. satis indicant, quod sicut eadem aetas requiritur actu tunc, quando quis obtinet tale beneficium Barbof. loc. cit. n. 89. citans Narbon. de aet. ad om. act. human. requis. anno 30. q. 6. n. 4. sic quoque requiri eam actu in Coadjutore tunc, quando conceditur Coadjutoria. sic dum datur Coadjutor Episcopo, debet is habere annos 30. completos Castrop. loc. cit. habere eam 30. annos, non significat complevisse annum 29. & attigisse 30. & expresse Gonz. loc. cit. n. 6. ubi: si derur Episcopo Coadjutor, debet complevisse annum 30. pro quo citat Selv. de benef. p. 2. q. 4. n. 9. Abb. Jo. And. & c. quamvis contrarium sentiat Remouch. cit. c. 7. n. 5. & 6. dum ait: Coadjutores dantur personae praeserentes aetatem, qualitatem, doctrinam, ac idoneitatem, habitum ratione dignitatis, vel beneficii, vel saltem habitum, infra annum à data concessionis possint aetatem & alia requisita complevisse. Coadjutores scilicet Episcoporum attingent aetatem 30. annorum completorum infra annum. pro quo postremo citat Vallen. ad decretal. cit. de aet. presc. n. 2. quod tamen dictum de Coadjutore Episcopi intelligendum, dum is est datus Coadjutor in spiritualibus. Si enim datus tantum in temporalibus, sufficit aetas 25. annorum ad exemplum Tutoris & Curatoris. Remouch. cit. c. 8. n. 7. citans Selv. de Benef. p. 2. q. 4. n. 4. sic in Coadjutore perpetuo parochi requiruntur 25. anni Gonz. Castrop. l. cit. Remouch. c. 7. n. 7. intellige, non tantum attingi, sed completi, sicut requiritur in parochi. Idem est de Coadjutoribus Abbatum, Praepositorum, Decanorum & aliorum jurisdictionem, aut curam animarum habentium, Remouch. loc. cit. sic Coadjutor Canonici ecclesiae Cathedralis debet habere annos 21. Castropal. loc. cit. citans Azor. Inst. mor. p. 2. l. 3. c. 2. q. 6.

*Quest. 378. Quem ordinem habere debeat Coadjutor.*

**1.** Resp. primò. Idem Ordo requiritur in Coadjutore, qui requiritur ad beneficium, respectu cujus datur Coadjutoria. Wamel. jur. Pontif. conf. 16. n. 2. Ventrigl. loc. cit. n. 46.

**2.** Resp. secundò Coadjutoriae temporales dari non debent nisi habentibus actu Ordinem, quem requirit beneficium administrandum juxta dicta quest. ante hanc ult. & uti id certum est in beneficiis parochialibus. fieri enim satis nequiret obligatio- nibus talis beneficii, si constitutus ad supplendum Coadjuti defectum nequiret administrare sacramenta. Castropal. loc. cit. p. 10. n. 42.

**3.** Resp.